

Potestas A

Acrius divicibus quam pauperibus invidetur, et non inops sed locupletes inquietat intestacio seva latronum. Plus duces et princeps quam milites ab hostibus appetuntur in pugna, et violencius propulsantur ventis et turbinibus culmina quicumque sunt altiora, ideo magnique quo plus ceteris unus quisque potest sciat esse sibi metuendum.

Augustinus libro de singularitate clericorum.

Potestas B

Optandum est ita ut poteras non detur nisi contra vicium, propter que vincenda potentes nolunt esse homines, et volunt propter vincendos homines, ut quid hoc nisi ut vere victi falso vincant, nec sic sint veritate sed opinione victores? Hanc igitur potenciam plane optet unusquisque atque appetat, ut potens sit in seipso et miro modo adversus seipsum pro seipso.

Augustinus libro 13. de trinitate.

Potestas C

Quamvis quolibet in loco positi cogitando, loquendo, agendo peccemus, tunc tamen per tria hec animus effrenacius capitur, cum mundi huius prosperitate sublevatur, nam cum preire potestate se ceteros conspicit, ut cum auctoritati vocis a nullo resistitur, lingua licencius per abrupta diffrenatur, cumque facere quod libet licet, iuste sibi omne estimat licere quodlibet.

Gregorius libro 5. moralium.

Potestas D

Cogitacio si assidue mentem excoquit omnem superbie tumorem premit et potestatem acceptam non honorem sed onus estimari facit.

Gregorius 23. moralium.

Potestas E

Potestas namque cum habetur et cogitanda est ad utilitatem et dissimulanda propter timorem, quamtenus qui utitur ut prodesse debeat posse se nesciat.

Gregorius ibidem.

Potestas F

Tunc solum potestas bene geritur, cum non amando sed timendo retinetur que ut ministrari recte valeat, oportet primum ut hanc non cupiditas sed necessitas imponat.

Gregorius libro 10. moralium.

Potestas G

Bona est ordine suo potencia sed cuncta regentis indiget vita.

Gregorius ibidem.

Potestas H

Summum in regibus bonum est, iusticiam colere ac sua unicuique iura servare et in subiectos non sevire, non sinere quod potestatis est fieri sed quod equum est custodiri.

Gregorius in registro.

Potestas I

Beatus David ita erat in potestate positus tamquam omnibus ipse esset subiectus et in solio regali erat ut vinctus in carcere et in purpura quasi incisicio iacebat cinere conspersus et corde compunctus. Aura regalis erat ei tamquam eremi vastissima solitudo.

Chrysostomus in libro de compunctione cordis.

Potestas K

Qui potestatem non cupit adipisci, nec erepcionem utique eius veretur, atque non metuens cuncta que cum ea fiducia et libertate que Christiano convenit exequetur, nam qui metuunt et ne deponantur tremunt, amaram sustinent servitutem et que malis redundet in numeris, atque tam Deum quam homines frequenter coguntur offendere.

Chrysostomus in suo dialogo libro 3.

Potestas L

Sicut potentes potenter tormenta paciuntur, sic et iusticie premiis fruuntur plenius si recte exercuerint potestatum; et tanta in futuro pre subditis habebunt gloriam, quanta virtute eos in magna delinquendi licencia precesserunt.

Chrysostomus libro de curialium nugis.

Potestas M

Semper enim grandis potestas maiori timori subiecta est, sicut ramum arborum in excelsis positarum etiam si levis aura flaverit movet, sic et sublimes in culmine dignitatum existentes etiam levis nuncii fama conturbat humiles autem sicut in convalle plurimumque in tranquillitate consistunt.

Chrysostomus super Matthei capitulum 2.

Potestas N

Principatus quem aut sedicio extorsit aut ambicio occupaverit, etiam si morbus atque actibus non offenderit, in ipsius tamen inicii sui exemplo est semper viciosus et difficile est ut bono peragantur exitu que malo inchoata sunt principio.

Leo papa in quadam epistola.

Potestas O

Semper accrescit apud indignos mores cum potestare supercilium.

Valerius episcopus in quodam sermone.

Potestas P

Potencia est ad sua conservanda et alterius obtinenda idonearum rerum facultas.

Tullius in sua rhetorica.

Potestas Q

Potencia Domini non minor est in regno potentissimo conferendo quam in tugurio pauperis evertendo. Quis enim in gracia potencior fuit Alexandro? Ei tamen successisse legitur non suus sed saltatricis filius, successorem Iulio Cesari fecit adopcio non natura, Cesaree domus totum relege et revolve progressum, et invenies que in brevi periiit memoria eorum et ad inferos descendentes, quoniam a se scienciam Domini repulerunt et ipsi repulsi sunt, eisque Herodes aut ignoti aut extranei successerunt.

Petrus Ravenniensis in quodam sermone.

Potestas R

Si ipsis dignitatibus ac potestatibus inesset aliquid naturalis ac proprii boni numquam pessimis provenirent, neque enim sibi solent adversa sociari, natura repuit ut contraria queque iungantur. Itaque cum pessimos plerumque dignitatibus fungi dubium non sit, illud eciam liquet natura sui bona non esse que se pessimis herere paciuntur.

Boecius de consolacione libro 2.

Potestas S

Infeliciores esse necesse est malos cupita cum perfecerint, quam si ea que cupiunt implere non possent. Nam si miserum est volvisse prava, potuisse miserius est.

Boecius de consolacione libro 4.

Potestas T

Princeps debet esse sermone affabilis accessu facilis, vultu quo maxime populos demulcet amabilis, equi propensus, iniquis acerbus. Talis inquit a tota civitate amatur, defenditur, colitur; hic princeps beneficio suo tutus nil presidiis eget, arma ornamenta animi pro se habet.

Seneca de clemencia ad Neronem.

Potestas U

Intuere illas potentum domos limina multum habent contumeliarum ut in tres, prius cum intraveris non in prerupto tantum stabis sed in lubrico.

Seneca epistola 81.

Potestas X

Regnantibus multo peius periculum est quam his qui iudicantur, hi enim singulos timent, illi universos.

Seneca libro de moribus.

Potestas Y

Plato cum vidisset Dionysium tyrannum corporis sui custodibus septum, qui tantum mali ait fecisti, ut ita a multis custodiaris?

Ibidem.